

A discipulus tradatur, qui neque ad intelligendum, neque ad dicendum sit ignauus, sed acutum tueatur, possitque rebus vti, si committatur illi, ac militarem animum habeat, & cum prudentia politica, Imperatoriam experientiam. Denique per Iouem, in castris etiam sit versatus, & milites ipsos, seu quum ad praelia exercentur, seu quum in aciem educuntur, viderit, & arma, & machinas aliquas norit, & quid sit diducis cornibus, quid ex porrecta fronte aciem instruere: quomodo cohortes, & turmae ordinentur, vnde & quid equum emittere, quid obequitare. Denique non sit ex iis qui domi desident: neque solum iis credat qui renuntiant.

In primis verò, & ante omnia, libero sit animo, ac neque quendam metuat, neque quicquam speret: quoniam similis esset malis iudicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium accepta mercede sententiam ferunt. At non curet, neq; Philippum ocululo ab Astere Amphipolitano sagittario ad Olynthum orbatum: sed talem offendat qualis tunc erat. Neque ipse se excruciet Alexander ob Cliti eandem crudeliter in conuiuio perpetrata, si planè sit depingendus. Neque ipsum deterreat Cleon,

B quod in concione sit præpotens, & tribunal contineat, quominus ab eo perniciolus, & infanus homo pronuncietur. Neque tota ciuitas Atheniensium, si clades in Sicilia acceptas memorat, captum Demosthenem, mortuum Nicias dicat, quomodo siti laborarunt, qualem aquam biberunt, & vt perique potu perierunt. Nam quod est iustissimum, nemo sanæ mentis existimabit, eum in culpa esse, si quæ infeliciter, aut stulte gesta sunt, vt gesta sunt, narrabit: siquid talium non est author, sed nunciator. Quare siue prælio navali ceciderint, non is est qui eos submergit: siue fugiant, non is est qui persequitur, nisi optandè erat, ne quid præmitteret. Quandoquidè si ea tacendo, aut in diuersum narando, corrigi possent, facillimum fuerat Thucydidi vno ac tenui calamo, munitiones Epipolarum inuertere, Hermocratis tritemem submergere, & execrabilem istum Gylipum cõfodere, interea dũ vias obstruit, & fossis intercludit: denique & Syracusanos in lapidinas conicere: Atheniensibus verò copiam facere, tum Siciliam, tum Italiam, cum prima illa Alcibiadis spe circumnauigandi. At puto, quæ facta sunt, neq; Clotho reuoluat denuo, neq; Atropos immuet. Proinde historici vnum est opus vt res prout gesta sunt, exponat. Hoc autem facere non poterit, donec vel Artaxerxem meruerit, qui eius est medicus, vel sperauerit Cardyn perureum, vel torquem aureum, & ex Nilæis equis aliquem se esse accepturum, videlicet laudem scripto meritarum mercedem.

C At neq; Xenophon illud faciet, iustus scriptor, neq; Thucydides: sed siue priuatum aliquos oderit, id quod publicum est, magis necessarium putabit esse, veritatemque plenis faciet quam inimicitiam: siue amauerit, tamè non parcerit illi, quisquis peccauerit. Vnum enim hoc, vt dixi, historia est proprium: ac soli veritati immolandi, ei qui ad scribendam historiam se contulerit: cætera verò negligenda omnia. Vna deniq; vna certa que mensura est, vt non ad præsentem auditores aspicias, sed ad eos qui in posterum, in legendis scriptis hinc versabuntur. At si quis continuò benevolentiam captat, meritò in aduulorum parte recesabit: quos olim historia statim ab initio est auerata, non minus quam comendi artem, gymnasticæ. Alexandri igitur hoc quoq; dictum inferat: Libertè, inquit, in vitam redirem, Onesicrates, post mortem, vt cognoscerem quo pacto

D hæc legerent homines qui tũ erunt. Quod si nunc ea laudant, & amplectuntur, mirum non est: putant enim isto non paruo illectamento quisq; sibi se benevolentiam meam conciliaturos. Itaque Homero, quamuis multa fabulosa de Achille scripserit, aliqui adducuntur vt credant, solũ hoc ad demonstratiõne veritatis magnũ existimantes argumentũ, quod nõ de viuo illo scripsit. Nulla enim causã reperiũt, cuius gratia mēiretur. Talis igitur mihi Historicus est: vt metu careat, muneribus non corrumpatur, liber sit, dicendi libertatem ac veritatem amet: & quemadmodum ait ille Comicus, ficus ficus, ligonem ligonè nominet, nihil odio, nihil amicitia tribuens, non parcens, aut miserescens, aut erubescens, non verecundans, æqualis iudex ac beneuolus omnibus, ita vt alterutri plus æquo nihil tribuat, peregrinus in libris, ciuitate carens, suis legibus viuens, nulli regi subiectus; non quid huic, illius sit placitum, cogitans, sed id quod actum est, exponens. Thucydides igitur hoc bene admodum lege fanciuit, & virtutes ac vicia historicorum inter se discreuit, cum videret Herodotum in maxima admiratione esse, adeo vt Musæ vocarentur ipsius libri. Nam satius est, inquit, possessiones in per-

petuum, quam certamen in præsens conscribere: nec amplecti fabulosa, sed posteritati relinquere veritatem. Deinde & vtilitatem addit: & quem quisque prudens orationis finem statuere debeat, vt si quando similia rursus acciderent, ad hæc, inquit, descripta respicientes, rebus ciuitatis rectè vti possent.

Ac huiusmodi sententiæ scriptor ad me veniat, vocè autem & expositionis vim illam quidem vehementem & asperam, ac periodis continuam, & argumentationib; rotundam, præterea reliquam oratoriam facultatem nõ afferens, ne admodum acuminatus scribendi initiũ faciat, sed sedatiorem se præbeat. Sententiæ autem inter se coherant, ac solidæ sint: dictio verò perspicua & ciuilis, quàm significantissimè materiã explanans. Nam vt menti scriptoris hoc scopos proposuimus, dicendi libertatem, & veritatem: ita & voci eius vnus hic esto scopus vt re planè aperiat, & quam lucidissimè declaret, verbis neque obscuris, neq; ab vsm remotis, neq; etiam vulgarib; hinc & tabernariis, sed quæ vulgus intelligat, & eruditi laudent. Quintem figuris ornatur non molestis, & non affectatis: siquidem illud orationem condimentis similem reddit. Ac sententiæ sit particeps, & affinis etiam poetices, quatenus grandiloqua est illa, & in sublime elata: idq; in primis quoties aciebus, & pugnis naualibusque præliis concurrit. Opus. n. tunc erit poetico quopiam vento, qui secundo flatu vela impleat, ac sublimem, petq; summos fluctus si blata nauem prouehat. Ac dictio tamen humi incedat, cum pulchritudine quidè, ac magnitudine eorũ quæ dicuntur sublata, & iis quæ maxime assimilata: sed nihil peregrini præ ferat, nec intemptiue exultans, quasi quodã furtim concietur. Periculum enim est, ne quod maximum est de statu mentis emoueat, & in istum Corybantem poetices impingit. Quare maxime tunc fræno credendum, & ratione vtendũ: illud scientes, quod & in verbis nõ mediocre malum est inanis gloria seu hippotyphia. Proinde satius fuerit sententiæ super equo incedente, piñtionem humi currere, ephippio adherentem, ne à vehementia cursus superetur. At verò temperata, mediq; compositio vocabulorum est vtendum, vt neque nimium distrahatur illa & dissocietur: id enim foret asperum, neque quod plerique student, numerosè comectas: alterum enim vitiosum est, alterum auditoribus iniucidum.

G Res autem ipsæ sunt temerè construendæ, sed sæpe de iisdem magno studio & labore interrogandus, ille imprimis qui præsens fuerit, & testis oculatus: sin minus iis aduertens animus qui narratum incorruptus, & quos putaueris minimũ ad gratiã, vel odium rebus gestis detracturos vel addituros. Iam etiã hic esto aliquis ad id quod probabilis erit, tum coniciendum, tum cõponendum habilis. Ac postquã omnia, vel maximam partem collegit, primi m ea in commentarios regerat, & corpus adhuc rude & informe componat. Postea superaddito ordine formam inducat, dictionis colorum adhibeat, præ his explicandis numeris aptandis vacet. Denique Homericò Illi Ioui similem se præstet, qui nunc equestriũ Thracum, nunc Mysorum terram aspiciet. Eodem enim pacto & ipse, nunc ad Romanorum, nunc ad Persarum res scriptum respiciat, & quales sibi ex alto despicenti apparuerint, nobis exponat: deinde vtrosque si pugnauerint, contempletur. At verò in ipsa acie, ne ad partem vnã, neque ad equitem vnũ, aut peditum oculos cõuertat, nisi Barsidas fuerit, qui de nauis profiliat, vel Demosthenes qui descensum in terram prohibeat.

H Ac primum quidè dicebat intueatur, ac si quid iusserint, illud audiat, & quomodo quaque sententiæ & consilio aciem instruerit. Postquam autem manus consertæ fuerint, communis esto contemplatio, ac tum, velut in trutina examinet ea quæ geruntur, simul etiam perse quatur, simulque fugiat. Et omnibus hinc modus adhibeatur, ne ad fatietatem vliq; ne ineptè, ne iuueniliter, sed facile absoluat. Atque his hic subsistere iussis, si festinet, ad illa transeat: deinde solutus redeat, quum illa reuocauerit. Ac ad omnia properet, & quatenus fieri potest, idem tempus habeat: transuoletque ex Armenia in Mediam, hinc autem vno impetu in Iberiam, inde in Italiam, ita vt nullam occasionem prætermittat. Præcipuè autem speculo similem mentem præbeat, liquido nimirum & splendido, quodque accuratum centrum habeat, & quales operum formas receperit, eandem etiam tales spectandas exhibeat: at nihil peruersum, nihil colore, nihil specie diuersum reddat. Non enim perinde atq; oratoribus scribunt, sed hæc quiddam sunt, quæ dici debent, & dicuntur, siquidem iam facta sunt: verum ea collocare ordine, & exponere oportet. Quare, non quid dicant, ipsi est querendum, sed quomodo dicant.